



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Externis Regulis Amoris Et Morum, Legibus Utique, ac Præceptis
Virtutum Theologicarum, & Cardinalium, necnon Decalogi & Ecclesiae -
Libros Vndecim Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput III. Spei à charitate discrimen explicatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73203)

Paradisi ab illo Dei amore & cognitione distinctis, immunitateque ab omni poena, & cruciatu corporis, necnon inferioris partis animæ, homo perfectus mallet in inferni cruciatibus esse cum illa Dei cognitione & amore, quam in Paradiso cum istis aliis bonis delictisque, sed sine Dei cognitione & amore.

34. Ille proinde est sensus, quo S. Franciscus Salesius l. 9. de amore Dei c. 4. ait; quod labores sunt paradisi, si in eis Dei amor & voluntas inveniatur; contra paradisi labor, sine cognitione & amore Dei. Quodque si per impossibile Dei amor & voluntas in paradiso non reperirentur, sed in inferno, infernus eligendus foret, renuntiatio paradiso. Quia nempe infernus tunc essentialiter foret paradisi, & paradisi infernus, uti proximè dixit: non enim nomen vel locus, sed Dei amor æternum duraturus, perfectaque cum voluntate Dei conformitas paradisi essentialiter faciunt; essentialem (inquam) id est sumptum pro essentiali beatitudine animæ; sicut & infernum essentialiter facit aeterna privatio divini amoris.

35. Objicies 3°. Salesius ibidem ad eò extendit indifferentiam hominis perfecti, ut dicat, quod si per impossibile cognosceret, damnationem suam Deo gratiorem fore suæ salvatione, hæc dimissa curreret ad damnationem.

Respondeo ipsum non loqui de salvatione damnationeque essentiali, sive de eo in quo essentialiter, sed in quo accidentaliter consistit; damnationem proinde ab ipso non accipi pro statu aeternæ infelicitatis, miseriae & insatisfactionis: cum felicitas, complacentia & satisfactio juxta Salesium essentialiter inseparabilis sit ab amore Dei, voluntatisque ipsius. Dicit enim l. 1. c. 7. & 8. omni amori essentialiter esse, nasci ex complacentia, quam voluntas percipit ex eo quod feratur in objectum sibi conveniens, quodque sicut apis in melle nascitur, melle nutritur, nec nisi propter mel volat; sic amor ex complacentia nascitur, per complacentiam conservatur, nec nisi ad complacentiam tendit. Et l. 9. c. 2. Tribulationes in seipsis horridae, amores sunt & deliciae, si considerentur in Dei voluntate. Item: laboris asperitatem amor vel tollit, vel sensum ipsius amabilem efficit. Quo etiam sensu S. Catharina Genuensis, purissimi amoris, & maximè disinteressati, ineffabilem exprimens suavitatem, in raptu quodam dixit: Amor non solum nescit quid sit pati, sed nec comprehendere quidem potest, quid poena sit, vel tormentum, sive inferni jam facti, sive eorum omnium quos Deus facere posset; & tamen si possibile sit, poenas omnes sentire demonum, animarumque omnium damnatarum, non ideo dicere possem eas poenas esse, ob magnitudinem felicitatis suavitatisque, quam in eis purus amor inveniret: utpote qui omnem auferret modum potentiamque aliud videndi

sentiendæ, nisi seipsum. Sic legitur in vita ipsius c. 28.

CAPUT III.

Spei à charitate discrimen explicatur.

EX iis quæ diximus capite præcedenti 36 Adversarii putant consecrarium esse nulum fore spei à charitate discrimen, cum amor quem ipsi vocant amorem spei, secundum nos sit verus amor Dei propter se; ad charitatem proinde pertinens.

Sed falluntur: quandoquidem amor, quem ipsi vocant amorem spei, non sit formaliter spes, sive actus proprius spei, sed principium ex quo spes nascitur. Spes proinde penes amorem illum essentialiter non differt à charitate, sed penes actum proprium, objectumque suum formale. Actus verò proprius spei est fiducia generosa, animique elevatio vigorosa, innixa super infinità Dei misericordiã, & auxiliatrice omnipotentia, per quam salus aeterna, non obstante incomprehensibili ipsius excellentia, non obstante etiam difficultate & arduitate mediorum, non obstante denique nostra infirmitate & indignitate, cum conditionata certitudine, & ideo absque omni moda securitate expectatur. Quæ perfectò fiducia non est amor, nec charitas, sed magnanimitas quædam, sanctaque & generosa audacia.

Unde & aliud est spei objectum formale, 37 aliud charitatis. Formale namque charitatis objectum est Deus quatenus ex se cum omnibus perfectionibus suis, summum bonum nostrum, abstrahendo ab eo an præsens sit, an absens, an possessum, an possidendum. Objectum verò formale spei est possessio Dei quatenus absens, ardua, obtentu possibilis, & in futurum certa cum fiducia expectata per infinitam Dei misericordiam, & auxiliatricem Dei omnipotentiam, Christianique merita.

Quia verò ex duplici amore, velut principio extrinseco, spes nasci potest, vel scilicet 38 ex amore mercenario & servili, vel ex amore casto & filiali; duplex etiam spes distingui proportionaliter potest; perfecta una, quæ oritur ex amore Dei puro, disinteressato, filiali & casto, de qua diximus cap. 2. Imperfecta altera, quæ oritur ex amore servili, interessato & mercenario. Et ista ordinariè spem perfectam charitatemque præcedit in conversione peccatorum, juxta Tridentinum sess. 6. c. 6. Nec mirum, quia amor imperfectus & mercenarius perfectum filialemque ordinariè præcedit. Spei quoque habitus in Christiano peccatore separatus est ab habitu charitatis: utpote qui per quodcumque mortale peccatum amittitur, non sic habitus spei.